

No. 607. 1371. 25. März.

B. Conrad verkauft von Schulden bedrängt, in die er durch die Unkosten seiner unter dem Einflusse von Gegnern verzögerten Confirmation in Rom gerathen, mit Einwilligung des Capitels zum Tafelgute gehörige Getreidezinsen zu Almosen an die Vollstrecker des Testaments seines Amtsvorgängers, verspricht aber durch anderweite Erwerbungen baldmöglichst Ersatz zu leisten.

In nom. dom. amen. Nos Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis et singulis praesentia visuris seu auditoris recognoscimus publice praesentium sub tenore, quod quia ratione expensarum, quas propter confirmationem electionis nostrae seu novae provisionis de ecclesia praedicta obtinenda ac importuna nonnullorum adversariorum nostrorum nos in huiusmodi confirmationis seu provisionis obtentu retardantium impedimenta, in Romana curia fecimus, gravi et importabili essemus debitorum onere gravati multipliciter et oppressi, ac terminus solutionis eorundem, in quo ipsa sub poenis camerae apostolicae satis gravi solvere promisimus et ad id nos obligavimus, propter sui brevitatem vehementer nos artaret, nec scientes modos aut vias alias, per quas ab huiusmodi debitorum sarcina exonerari possemus et eripi, nisi quorundam bonorum et reddituum ad mensam nostram episcopalem pertinentium alienatio mediaret et interveniret, ideoque necessitate inevitabili nos urgente deliberatione provida maturoque consilio ac tractatu diligenti praehabitis, accedente etiam capituli nostri voluntate et consensu, decem maldaria tritici cum duobus modiis tritici census annui ad mensam episcopalem pertinentia sita in villis ac bonis sancti Gothardi in Gana et Benewicz prope Ganam^{a)} ac Preudow^{b)} et Pryszer^{c)} per censuales et reddituarios infrascriptos singulis annis de agris et mansis suis solvenda rite et rationabiliter ac iusto emptionis et venditionis titulo interveniente vendidimus et praesentibus vendimus honorabilibus viris dominis Palberto cantori, Siffrido Hanfimus, Lutoldo de Stuternheim episcopalibus et Gunthero Karas perpetuo vicariis ecclesiae nostrae Misnensis testamentariis recolendae memoriae domini Johannis olim eiusdem ecclesiae Misnensis episcopi praedecessoris nostri ad elemosinam pauperibus, mendicis et inedia oppressis qui vulgariter husarmen dicuntur, iuxta praefati testatoris affectum largiendam, pro ducentis sexagenis latorum Pragensium grossorum nobis integraliter et iam plene persolutis et in partem solutionis debitorum praedictorum ac nostram et ecclesiae nostrae utilitatem conversis. Et quia memorati domini testamentarii nobis cum instantia debita supplicarunt, quatenus praefatum triticum seu censum capitulo ecclesiae nostrae Misnensis incorporare unire et appropriare dignaremur, nos attendentes eorum petitionem esse iustam et rationi consonam, ipsorumque precibus favorabiliter inclinati, praefata decem maldaria cum duobus modiis tritici census annui ad elemosinam ut praemittitur iuxta tamen ordinationem et dispositionem capituli largiendam, eidem capitulo nostro ipsius tamen accedente concordi consensu appropriamus — et unimus. Insuper promisimus bona fide ac dolo et fraude quibuslibet postergatis promittimus per praesentes, quod quam primum divina nobis

a) Jahna (Eph. Oschatz) und Binnewitz ders. Parochie. b) Pröda, Par. St. Afra. c) Priessen, Par. Rüsseina.